



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

Annuntiato B. M. V. 25. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

ANNUNTIATIO B. M. V. 25. Martij.

Hic ille dies est, quo non tam **VIRGINI**, quàm mortalibus omnibus salutem Cælum nuntiavit. Nam cùm homini consulere in humanâ imaginè **DEUS** statuisset, eamque in rem jam olim præ omnibus sibi in matrem **MARIAM** legisset; ad illam legatum **Gabrielem** misit, qui postulata exponeret, & **VIRGINIS** Cælitum nomine assensum peteret. Fecit hic imperata, & lætissimum illud Avelatus **MARIÆ** tulit, aliaque in laudem addidit, quæ Angelum imitantes homines meritò quotidie gaudemus iterare. Sed numquam pulchrius illa erubuit, quàm ad tot laudes suas; mirante nimirum honorem suum modestiâ: quâ nemo unquam minùs agnoscit dotes suas: nemo minùs libenter extolli audit. Itaque aggressus timorem adimere beatus Nuntius, matrem fore vaticinatur **DEI**; inde nomen adjicit filii, sceptratem & regna (omnia ater natura) promittit. **MARIA**, vel quòd quàm virgo paritura esset nesciret, vel quòd mater sine virgine esse nollet, longè magis hæsitare, & de pudore, quem **DEO** voverat, anxia, quæ id fieri posset, rogare. Mox tamen, ut ille arcanum rei ordinem enarravit; **ANCILLAM** modestissimè se præfata annuit, & verbum illud expectatissimum,

N 4

FIAT,

200 VITÆ SANCTORUM. 26. Mart.

FIAT, pronuntiavit. Tunc HOMO DEUS
& DEUS HOMO potuit dici. Tunc VIRGO
quod DEUS fecit, & unico verbo, quo
hic orbem antè creavit, illa recreavit.

Ex S. Luca & Ioan.

*Inter gratias Virginis præcipuè redole-
bat Myrrha Castitatis & Thus Pietatis.
Odor iste super omnia aromata, Dominum
Majestatis de Excelsis attrahit & invitat,
ut inclinet celos & descendat. Guerric.
f. 1. de Annunc.*

S. LUDGERUS EPISC. 26. Martij.

CÆlo priùs quàm lucem aspiceret,
charum esse LUDGERUM apparuit.
Palus enim per cadentis matris latus e-
gressus, cum mortem illaturus utrique
crederetur, obstetricis instar fuit. Vix
verba fingere blæsa, vix gressum firmare
scivit, cum magnam in parvulo indolem
studia prodiderunt. Neque enim ille, ut
amet ea ætas, ludicris delectari, sed
jam tum seria agere, & vel cortices in
libros concinnare, vel lectitanti similis
aut scriptitanti assidere. Quare compel-
latus à nutrice, qui diem transegisset,
vel libros, respondit, scribendo vel le-
gendo scriptos. Iterum quo magistro u-
sus esset, rogatus, Deo, subjecit. Talem
in familiaritatem suam Musæ, & in ipsa
adyta sapientiæ admiserunt, quam ut in
alios effunderet, ad Frisones Saxonef-
que